

Unde ex
novis non
crescit
regnum
rationis.

Quod jam attinet ad auctoritatem ab hodiernis theologis magis exponendam utendamque, rursus non id dico, eos peccare. Faciunt profecto faciuntque in hoc bene & è re religionis. Hoc unum ea in re considero, nihil prerogativæ ex hoc accedere regno rationis hodierno præ veteri. Nam auctoritas omnis, qua isti novi theologo nituntur, ex antiquitate *petita* & mutata est. Igitur si vim suam Theologia moderna in auctoritate habet, habet illam in antiquitate: novitas huc nihil facit, imo fere obest. Ex quo jam consequitur, modernos theologos utcumque multos, ut eumque industrios ac splendidos regno tamen rationis *hodierno* splendorem non tam addere, quam demerere, & vim omnem, quem theologia moderna habet, antiquo tempore referre in acceptis. Perperam igitur ex theologia dogmatica dicta argumentum ducitur ad hodiernum rationis regnum veteri præhabendum. Non aliter quam

si iudex gloriari vellet de præcipua quadam eminentia suæ rationis ob sententiam aliquam latam ideo, quia in digestis aut novellis illa sententia continetur, eandemque ex his iudex dicit.

Neque dicas, magis ex rationis ductu esse, ut Theologia auctoritate nitatur, quam ut ratione: ideoque modernos theologos convenientius rationi agere, & ob id regnum rationis hodie in Theologia certius eminere atque olim eminuerit.

Nihil enim hac objectione juvas regnum rationis hodiernum, quod non veteri æque conveniat. Nam *primum* Veteris ac mediæ ævi Theologi semper in divina doctrina rationem conjunxerunt auctoritati, & primas in decidendo semper detulerunt auctoritati divinæ sive scriptæ sive per manus traditæ: ita ut contra omnes adversariorum versutias & contra philosophos hac se auctoritate tuerentur. Memento

Rationabile quidem est, auctoritatem sequi,

idque & veteres fecerunt

te

to Spiridionis episcopi, qui in sancto concilio Philosophorum quendam principem quotidie Patribus ratione insultantem auctoritate fecit obmutescere. Rationes autem *congruentie* Theologi posteriorum temporum amplius persecuti sunt propterea, ne ullum pateret incredulis & acutis etiam ingeniis effugium. *Deinde* nobis hic non id jam quæritur, quæ ratio imperaverit modernis vel antiquis theologis, ut hunc aut illum tractandi modum sequerentur: sed in utro tractandi modo ipso plus ratio & acumen excolatur, quam in altero? Idque à simili ad hominem explicabo. Nostri morum doctores Catholici hætenus morum præcepta tradiderunt ex ratione quidem etiam, sed & multo magis ex auctoritate divina. Surrexit post multa secula Puffendorffius ac post ipsum crabronum turba alia, contententium, peccatum hic à nostris fuisse, rationi nocitum, eandemque rationem ex libertate natu-

rali in captivitatem redactam missamque sub jugum tyrannicæ auctoritatis. Morum præcepta sola ratione exclusa auctoritate divina æque atque humana esse tradenda: hunc in modum rationem excoli, & regnum rationis servituti ereptum in summum apicem devehit. Quocirca ex horum sententia, quam in nostros statuunt, judicamus etiam ipsos, & dicimus, tractandi methodum in Theologia, ubi major est occupatio in inveniendis & exponendis momentis rationum quam in promenda auctoritate, magis servire ad regnum rationis evehendum rationemque excolendam. Tali autem methodo usi sunt ante hoc seculum Theologi. Theologia itaque illa majus ostentavit regnum rationis quam hodierna: & argumentum pro hodierno rationis regno admodum nihil evincit, pro vetere autem plurimum. Sane D. Wolffius non dubitabit, ex suo Jure naturæ, quod tamen aliud nihil est quam Jus civile alio ordine

sed veterum tractandi modus rationis acumen plus quaerivit.

argumentum ad hominem. Ex Jure naturæ.

Aliud argumentum ad hominem.

ordine digestum, rationem ejusque regnum plus exornari quam ex Bartolo, aut ex ipso Codice Justiniani; quia leges putat Wolffius se ex intrinsicis rationibus methodo scientifica demonstrasse, quas Imperator tantum ex auctoritate & ratione practica decrevit. Ergo D. Wolffius cum suis negare nequit, quin anteriores Theologi regnum rationis plus promoverint, qui res fidei ac morum Christianorum ex rationibus intrinsicis legitima argumentatione demonstrare contenderunt methodo didactica, quos hodierni aliqui Theologi plerumque tantum allatis decisionibus Conciliorum & sententiis Patrum firmare nituntur.

Atque hæc de Theologia, quæ pro dignitate paullo diutius nos tenuit. Nunc reliquum bibliothecæ lustremus, si forte hodiernos libros præstare veteribus ad regnum rationis stabilendum inveniamus?

58. *Jus Canonicum* hodie quidem insignes numerat antistites. Sed si numerum in eas eorum, qui à centum annis scripserunt, eosque conferas cum centum retroactis, & rursus cum aliis centum anterioribus, in propatulo est, seculum posterius vinci numero, pondere ac mensura. Numera, si placet, in ipsis forulis: nam hic catalogum bibliothecæ excipere fastidiosum est & supervacaneum. Et quid nos hic regni rationis acumen quæramus, ubi non in argutis disputationibus, sed in obsequio gloria est?

59. *Jus Civile* quamdiu ratio practica valet, valet & ipsum; cum speculationibus indulgent ingenia Juri civili tanto plus nocent quanto plures disseminant libros. Ut nuper Gundlingius, Heineccius & pauci alii suo obsecuti, ut putabant, arbitrio, Jus Civile pene eripuerunt foro, cum jura vetera Alamannorum, Bajuvariorum, Ripuariorum è pulvere

Juris Canonici libri olim plures editi.

Jus Civile novatores volunt abolere.

vere protracta foro impetare voluerunt: qui tamen populi tam impotes fuere sui, ut leges ipsi suas non cuderint, sed ab extraneis regibus eas ferri rogarint; quemadmodum decem tabularum leges à Græcis mutuati sunt Romani.

Ejus libri regnum rationis hodiernum non augent. Quod si vero demus, plures hodie de Jure civili libros in lucem procudi, cum contra acciderit, an regnum hodie rationis efficacius erit ob leges frequentius descriptas? maxime cum etiam commentaria recentium ex veteribus plerumque descripta aut confarcinata sint; qui veteres nisi præcessissent, suaque lumina accensa nostris reliquissent, næ isti implexas obscurasque de *asse* contentiones adhuc dum contexerent.

60. Sed ecce tibi integram librorum classem, qui omnes hodierni sunt, veteribus ante annos centum penitus ignoratam. Ea vero est *Juris Naturæ ac Gentium, & Publici Universalis*. Hic vero se-

dem sibi unice fixit, hic triumphat regnum rationis. Hic enim sola ratio valet, hic exulat auctoritas divumque hominumque, neque cælum neque terra in regni consortium admittitur: pura puta putissima ratio imperat. Officinas has esse & nebulas loco jam non uno monstravimus nos. Veteribus Jus naturæ cultum, novos istos ab illis didicisse omnia. Vid. *Larva detracta* Cap. XV. Adde *Diatriben*, Methodum D. Wolffii in Jure naturæ nec methodum esse, nec scientificam. Rursus *Hypodigma politicum*, eos, qui Jus naturæ in moderno statu sola ratione docendum volunt, periculosam reipublicæ fabam cudere. Denique adde *Præjudicia* reprehensa præjudicio majore. Denique quidquid in his, quos tu novos ais, Juris naturæ libris continetur boni, illud omne multo accuratius, melius ac sanius, adhuc amplius disputatum invenies in Philosophis nostris ac Theologis moralibus ac speculativis: reliquam

quam partem omnem ad actiones externas pertinentem invenies in Juris peritis. Quidquid rursus in his Juris naturæ libris est malum, heterodoxum, insanum, noxium, illud rursus omne invenies in cæcis antiquorum philosophis & in hæreticis ab ecclesia dudum damnatis. Quid igitur restat his novis, quo triumphum regno rationis hodie adornent?

Historicis libris pretium ab antiquitate.

61. Neque vacat jam neque necesse est per reliquam bibliothecam discurre. Inter HISTORICOS quos ingenti numero hic dispositos vides hoc quisque est melior quo plus ex antiquitate protulit. Longus vero ille Anecdotorum, & Scriptorum rerum Germanicarum, Italicarum, reliquarum, ordo nuper quidem formis excusus, sed dudum a proavis scriptus est. Quidquid in his rationis est, debetur antiquis; quidquid opificii, nostris operis earumque non capiti sed manibus debetur, aut dorso.

62. Quid sibi vult ille ORATORUM ille POETARUM recentium manipulus, qui cum omnes summis conatibus Tullium & Maronem etiam superare contendat, illorum tamen nemo saltem feliciter imitatur: tam parum præsidii ad superandum affert regnum rationis hodiernum & cantatus ante victoriam triumphus.

Sed relicta jam bibliotheca redeamus ad argumentum à multitudine librorum pro regno rationis hodierno ductum.

63. Repono 3. De multitudine hodie librorum alii viri sapientes alterius sunt sententiæ, nimirum eam non prodesse regno rationis, sed potius obesse, idque duabus maxime de causis. *Prima causa* est, quod in tanta multitudine plures libri sint mali, præcipue cum eduntur ab heterodoxis, qui sine fræno sine censura quidquid in buccam venerit edunt, contra regulam etiam Platonis, noxam reipublicæ existimantis fore, si sine seniorum censura libri vel carmina in publicum spargantur. Ad hæc tot ubique Typographiæ, tot etiam mercatores librorum nocent; quia dum lucrum ex chartis captent, pensi non habent boni an mali sint libri quos excudunt etiam clanculo. Qui, si forent rariores, nec latere tam facile possent furtiva, nec cujus libet scribendi prurigini ita prompta suspeteret occasio furtivos suos disseminandi. Ex malis autem libris regnum rationis ampliari, præcipue si multi sunt, miserum est opinari. Nam si mali sunt propterea quod arte, sano ratiocinio ac principiis scientiarum destituti sint auctores, quemadmodum fere sunt ii qui proficiscuntur à miseris illis spiritibus, qui sese per antiphrasin fortes dicunt; quomodo libri ratiocinandi arte destituti & cavillatorii rationis regnum promoveant, quando cavilli sunt rationis unica pestis? Vid. *Disquisitio spiritus Legum*. Item *Larva detracta*

furtivi;

existimantis fore, si sine seniorum censura libri vel carmina in publicum spargantur. Ad hæc tot ubique Typographiæ, tot etiam mercatores librorum nocent; quia dum lucrum ex chartis captent, pensi non habent boni an mali sint libri quos excudunt etiam clanculo. Qui, si forent rariores, nec latere tam facile possent furtiva, nec cujus libet scribendi prurigini ita prompta suspeteret occasio furtivos suos disseminandi. Ex malis autem libris regnum rationis ampliari, præcipue si multi sunt, miserum est opinari. Nam si mali sunt propterea quod arte, sano ratiocinio ac principiis scientiarum destituti sint auctores, quemadmodum fere sunt ii qui proficiscuntur à miseris illis spiritibus, qui sese per antiphrasin fortes dicunt; quomodo libri ratiocinandi arte destituti & cavillatorii rationis regnum promoveant, quando cavilli sunt rationis unica pestis? Vid. *Disquisitio spiritus Legum*. Item *Larva detracta*

Cap. XIII. & Cap. XV. Them. XI. &c. Et Cap. XVI. ac XVII. Quod si vero libri mali sunt ideo quia doctrinas virtuti, religionique inimicas palam aut sub larva continent, quales heu plurimi hodie mundum obruunt, quis quæso his regnum rationis extolli dixerit, tametsi ingeniosissime ac facundissime scriptis? cum quidquid virtuti inimicum est rationi repugnare certum sit. Quia quo elegantius, quo cum majore rationis, demonstrationis, atque ingenii specie sunt scripti, hoc majus sunt virus, hoc magis rationem incautorum decipiunt & in transversum agunt. Vid. *Præfatio Larvæ detractæ*.

64. *Altera causa* cur librorum hodie multitudo regno rationis noceat, hæc est; quod ipse numerus obruat & labyrintho induat eos, qui excolere rationem desiderant. Nam primum ex tanto numero difficile est, cum omnibus legendis par non sis, deligere quibus secure & cum

fructu utaris. Facile tibi evenire potest ut incidas in malum; quia novi libri adhuc incogniti sunt; veteres contra omnibus noti, quidque in iis sit boni quid mali, expertorum virorum multis judiciis dudum constat. Accedis ad diaria eruditorum libros recensentium? Vehementer etiam hic decipi potes: Laudant saepe non laudanda, probanda vituperant & traducunt. Odio nationis, religionis, professionis ducti, alias ad gratiam loquuntur, alias ad invidiam: plerumque mercenarii sunt, à quibus quid expectes nobile? Igitur si Senecæ consilium secutus voles *unius* libri esse lector, aut periculo te exponis incidendi in malum, aut multos debebis libros legere, ut ex multis malis unum deprehendas bonum.

Deinde hodierna judicia de doctrina cum per sese regnum rationis vehementer affligunt, tum etiam circa multitudinem librorum perversa sunt. Per-

fese regno rationis nocent hodierna de doctrina iudicia. Olim quippe doctus habebatur, qui unum quiddam egregie calleret: hodie nisi omnia scire videre, contemneris: quod quam sit pestiferum rationi, supra exposuimus. Num. 42. &c. Quantum ad multitudinem librorum ^{opinio,} iudicia hodierna nocent ^{docto om-} ideo, quia nisi omnes li- ^{nes libros} bros legeris & bonos & ^{legendos} malos, indoctus habebis. Et cum primum quis dicitur esse doctus, subito ad- volant, ex eoque de libris omnibus, quos unquam orcus effudit, sciscitantur, adductoque naso contem- nunt si vel unum ignora- veris. Memini cum in ^{Exem-} Bibliotheca Abbatiae S. ^{plum.} Jacobi apud Scotos Ratisbonæ cum Reverendissimo D. Abbate Bernardo Baile Bibliothecæ selectissimæ collectore sane doctissimo agerem, adesse no- bilem virum ex Italia, vi- surum Bibliothecam. Vi- dit, laudavit. Ultimo quæ- sivit de auctore quodam Neapolitano heri edito Neapoli, de Jure scriben- te.

te. Cumque eum etiam ignorarem, cum cachinno exclamavit, *oh hoc absente nihil adest.* At nos Scythæ nobis visi sumus, quibus ultra mare disitis, per hunc virum nobilem liceret ignorare unum in Italiae extremis doctum, sicut Scythi licuit igno- rare Alexandrum.

Abundans
lectio te-
nebras
offundit.

Quodsi jam in animum inducas, quamvis non sine horripilatione id tibi contiget, ut aggrediare tantam vim librorum omnium legendo devorare, quantum tenebrarum necesse est offundi intelle- ctui tuo, si vel omnes hi libri boni essent, sapien- tes, docti? Namque non ignoras, non solis tene- bris & nebulis occæcari oculos, sed & luce ipsa ni- mium irruente caligo obo- ritur. Nec aliter intel- lectus nimia scire volen- do obtunditur & multis litteris si non semper ad Insaniam redigitur, cer- te ad quendam quasi, qui se obducit, callum & glau- coma, quo iudicium sa- num pervertitur aut im-

peditur. Sobrietas ad sa- pientiam necessaria est, quam in incondito hoc li- brorum agmine tenere dif- ficillimum, nisi si singulari numinis favore, aut pru- dente ductore media via incedere detur.

65. Quare demum ra- ^{Hodierni} tiones concludo, & regno ^{libri non} rationis probe consultum ^{probant} fore autumo, si quis ca- ^{regnum} sus omnes libros à centum ^{rationis.} amplius annis editos, ex- ceptis qui ad veram pie- tatem pertinent, ruinæ nullo superstite involve- ret. Quemadmodum enim Rationi suum constabat regnum ante quam hi pro- darent in lucem cum ipsis suis auctoribus, ita regnum sanæ rationis tumore hoc sibi non necessario libera- tum ad sanitatem priorem reditum haberet facilio- rem; tametsi concedere- mus, eidem per hanc ja- cturam roboris aliquid de- cedere. Quod enim in corporibus, idem accidet etiam in animis, usu di- dicimus. Corpora non ea saniora sunt, quæ ro- bustiora & pleniora ad-

hæc etiam calidiora; quin hæc malignis febribus & casibus imprævisis magis sunt obnoxia, & subito sæpe opprimuntur malo, quin remedio sit locus. Ita animi sibi fortiores vix, tumentes turgentisque scientiis, intellectualem quadam pletora non raro laborant, cumque in aliquod extremorum cadunt, vix ulla ope revocari possunt. *Corruptio optimi pessima.* Angeli fortes unico peccato sese obstringentes semper in illo obsolescunt. Humanum genus tam infirmum infinities peccat, & quantum etiam ex ipsis peccatis sese bonorum non explicat? Ante hos libros & ante istas doctrinas sæpe decepti sunt populi & peccarunt: num cum istis doctrinis atque libris mitius peccatur? Haud equidem reor. Patres nostri sani fuerunt, & in parte tantum corporis passi nævos sunt: nostri dum prægrandi sua ratione nixi omnia vetera abolere satagunt, cum quibusdam guttis parvi humoris totum sangui-

nem ejiciunt, fontemque sanitatis evacuant.

Nonum Argumentum pro regno rationis hodierno.

66. **H**odie in uno oppido plures sunt docti viri, quam ante hæc in totis provinciis. Ergo regnum rationis in universum est validius, amplius, augustius.

67. *Repono imo.* Ne in cavillorum retia incidamus incauti, discriminanda hic quædam sunt. Atque imprimis temporum habenda est ratio. Nam si de multis abhinc seculis sermo est, fuere quædam tempora ubi rara doctrina extitit, ut seculis duobus aut tribus quæ *Barbara* ætatis nomine veniunt; ubi Barbari, hoc est Germani nostri, qui hoc sibi nomen à Romanis datum honori sibi duxerunt, Europam & notas orbis partes viribus inundarunt, subegerunt.

Rur-

Seculo X. Rursus doctrina rara fuit seculo X. *ferreo dicto*, quo Carolina domus defectus multa turbavit, sed multo plus afflictæ Romanæ sedis res: hoc enim capite impedito per turbas etiam à fœminis textas, necesse fuit languere corporis reliquum.

Res litteraria tenuis, His certe temporibus rari fuere qui litteras discerent. Qui ex libro scripto aliquot paginas sine multa hallucinatione legeret, doctus hebebat. Chartæ illorum temporum earumque Latinitas produnt quam à longe litterarum limina salutarint, etiam qui aulæ atque ecclesiarum negotiis præsidebant.

Rationis tamen vis non minor Hæc cum ita habuisse confiteor, non facio majoribus nostris injuriam, neque regni rationis majestatem, quam servabant ipsi, lædo. Sed hoc ajo, regnum rationis ipsis nihilominus salvum integrumque constituisse.

fatente Jam nobis supra N. 27.

fassus est peringeniosus auctore auctor spiritus legum, *Veteres Germanos educatione, artibusque caruisse quidem, Bono tamen sensu & ADMIRABILI SAPIENTIA* fuisse adversus ipsos doctissimos una atque potentissimos Romanos. *SAPIENTIA ADMIRABILIS & bonus sensus*, nisi turpiter fallor, sunt ipsum regnum rationis, aut certe regni rationis anima & nervus. At sapientia tam admirabilis remotis illis seculis viguit sine ullis artibus, ac prope sine ulla educatione, ut ipse loquitur auctor. Igitur remotis illis seculis viguit Regnum rationis & admirabiliter viguit. *Pars sapientia* rum autem refert, *stetere* stat etiam ritne admirabilis illa sapientia, quam Montesquieu agnoscit, per litteras an absque litteris. In litteris enim per se non inesse tantam Sapientiam Gothi illi tum existimarunt, cum ingentem in Græcia librorum vim, quos aliqui in forum comportatos exurere volebant, ne Græci deinceps iis eruditi Gothi potio-

potiores fierent, reliquere intactam: cum enim litteraria hæc Sapientia Græcos adhuc nihil javisset adversum Gothos, Gothis perinde esse, si mallerent Græci etiam imposterum his chartis impalescere.

Olim in paucis scholis

68. Repono 2do. Quod si mavelis tempora paulo propinquiora spectare eaque comparare cum nostris, haud scio an recte doctorum numerum inieris. Nam ante trecentos & amplius annos cum pauca etiamnum in Europa essent scholæ, non tamen erant pauci qui litteras omnes discerent. Nunc enim cum singulæ Academiæ mille aut bis mille scholares numerent, olim triginta millium populum aliqua scholæ numerabant, ut Parisiorum, Oxoniæ, Pragæ, Patavii, ut adeo triginta nostris Academiis una vetus Pragensis numero doctorum æquiponderaret.

Doctos non sta-

69. Tyronibus autem omisissis lubet reliquum do-

ctorum chorum metiri? tim facin-
Et hic quidem primum de-unt Lin-
finiri mihi illum doctum gua.
virum desidero, qui regni rationis hodierni Jupiter stator esse debeat. An ille doctus est, qui linguam latinam didicit? Puriolem didicere majores ante annos 300. & scholis quibusdam novioribus culpæ datur, quod latinitatem flosculis intempestivis corruperint. Alioquin si Latine loqui hodiernum rationis regnum efficit, nullibi id reguum viget amplius quam in Polonia atque Hungaria, ubi æstate pascunt greges, & hyeme frequentant scholas, ut Huzarorum quandam Latinitatem sibi comparent. Nullibi minus est doctorum, si hoc valet, quam in Italia, ubi tormentum putatur loqui Latine; in Gallia, ubi rarum est Latina audire; in Anglia, ubi etiam in pudorem vertitur & tanquam pedantis mus exhibitur.

An forte docti illi Studentes hi sunt, qui Philosophiæ, Juri, Theologiæ nomenclaturarum varunt

quæ in oblivionem abeunt.

varunt per annos aliquot juveniles operam non omnino pœnitendam. Fallor ego, aut pauci horum sunt, qui post decem annos quibus à schola absunt, vel ducentessimam eorum partem adhuc callent, quæ in scholis didicerant. Ea autem doctrina, quam non jam possidet animus, quæ mente excessit, erupit, evasit, quomodo potest hos viros ita doctos præstare, ut in ipsis maxime regnum rationis tam præclarum consistat? Hoc autem ita, quemadmodum dixi, habere experientia didici, & virorum omnis generis atque ordinis consuetudine, sive qui in foro causis ac judiciis serviunt, sive qui in consiliis principum, sive qui in Ecclesia & Sacris tribunalibus occupantur. Scholæ doctrina apud illos pleraque exolevit. Quod doctrinæ ac sapientiæ nunciis adest, prope solum ex usu, experientia ac rerum ipsarum negotiorumque magisterio didicerunt.

Experientia melior magistra

non de-

Tale autem doctrinæ

genus an defuit majoribus fuit majoribus? An nulla illi sacra profanaque negotia tractarunt? An ex ligno querno illi soli fuerunt qui ex tractandis negotiis nihil proficerent, nos autem eorum posterum ex eodem ligno decisi soll efficitur usu sapientiores? Genus humanum in deterius inde ab aurea atate abire poetæ queruntur. Sæpe miratus sum in chartis ante annos trecentos scriptis legens formam judiciorum in pagis tum habitorum. Judex erat fere homo equester: qui etsi fuisset aliquando in schola & aliquid de Jure didicisset; ejus tamen nullæ partes erant in roganda sententia; sed quidquid majoribus assessorum suffragiis decidebatur, Judex pronuntiabat. Neque aderant leguleji, nec Codex. Et assessores qui erant? Non ex Universitate doctores aut Juris scripti gnari, nec Philosophi, nec Theologi nec politici, nec Publicistæ quos ajunt, nec ullo ex novis hodie libris eruditi, sæpe etiam litterarum

Exemplum de forma judiciorum veterum

G

rarum

rarum rudes : hoc est erant cives villani, opifices, & si verum dicendum, homines agrestes. Eorum tamen iudicii ordo & forma quam est succincta? quam concinna & supervacaneorum expers? cauta, præcisa & provida? In ruborem, si fieri potest, horum agrestium virorum sana ratione, *bono sensu, & admirabili sapientia* dantur rabulæ omnes hodie forenses & docti crumenæ mulgi.

Profunde docti hodie non multo plures; 70. Si hoc etiam numero seposito solos jam profunde doctos, qui hodie sunt, cum doctis præteritæ proxima aut ulterioris ætatis conferamus, rem alexæ plenam subit Murtorius, qui huic potius ætati quam præteritæ regnum rationis adjudicat, si tamen regnum id consistere debet in maiore numero profunde doctorum. Quid enim tum, si decem hodie profunde docti plures sunt in Europa, quam ante annos centum? Propter hosne decem viros plerumque in umbra de-

gentes, plerumque inter se digladiantes & reliquorum semidoctorum factiones adversas post se trahentes in prælia, mundus hodie ratione plus polleat? Hoc equidem, ita me superi, bardus ego neque dispicere neque persuadere mihi possum.

Præterea quis hic iudex, quis imperator, qui ad diribitorium citet doctos? qui illos in numerum profundorum admittat vel excludat? An populus? nempe indoctus iudicabit de doctis, cæcus de coloribus, anser de oloribus. An semidocti? At hi partium fere studio inter se divisi ab hæresi doctiorum pendent. An de Italis iudicabunt Germani? An de Anglis existimabunt Galli? Nihil hic nisi imaginarium dici decernique potest, quemadmodum tota excellentia illa regni rationis hodierni præ veteri imaginaria tantum est & fere puerilis ingenii sibi blandientis, fenesque præ se deliros existimantis.

P A R S III.



P A R S III.

Argumenta pro regno rationis veteri præ hodierno.

Ubi ostenditur, in quocunque consistat fortitudo & regnum rationis, sive in numero intellectionum, sive in varietate, sive in facili inventione agendorum &c. Veteribus maiorem fere adfuisse rationis fortitudinem & regnum, aut saltem non minorem quam modernis.

I.

De Theologia, sive vera DEI ac divinarum agnitione veteri ac moderna.

Quoniam multiplex est hoc Argumentum & nobis proposita brevitatis est, discriminanda in limine sunt nonnulla.

71. Non igitur hic est De religione tanquam virtute agere, quæ voluntatis est ad res divinas affectio in exteriores actus etiam promiscans. Rationis enim hic seu intellectus negotium agimus, quidque is in religione olim atque nunc valuerit.

Paucis vero examinabimus, num ratio hodierna potentior sit in rebus ad
G 2 DEUM